



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Ejus filius & successor Ludovicus, Caluinismo profligato,
Lutheranismum reducit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

epistola ad Ducem Wirtembergicum conqueratur, articulum de Cœna Domini in Confessione illa non satis dilucide esse explicatum, quem tamen ait in Synodo aliqua legitime congregata plenius ac melius explicari posse. Id nihilominus tunc ea Confessionis sua amphibologica exhibitione Calvinista effecerunt, ut Melancthon Sacramentariis Zwinglianis, & in eis Beza anathematizare noluerit, & Geneveses Beza artibus Augustana Confessione sese insinuarerint, ac sub eius nomine latuerint, quo scilicet tanto facilius à Protestantibus auxilia impetrarent, de quibus a libi opportunior erit dicendi locus. Nunc paucis mores hujus Protei indicare volui: qui ad suos reversus, factum hoc suum zelo fratrum è captivitate Gernis liberandorum excusavit quidem, non tamen omnibus probavit.

III. Elector Palatinus, lectis Calvini libris e jusque Catechismis in Germanicam linguam translatis, tum frequentibus Calvini, nullam occasionem præmittentis, epistolis sollicitatus, ac præterea Lutheranæ religionis, cui novitatis gratia jam decesserat, sator, uti Pater ejus Joannes II. avi sui Joannis I. ita & ipse patris sui religionem deserere, & Calvinismum amplecti statuit. Lutherani doctrinam hanc à Clebitorio ætate & ingenio feroci homine primò in Palatinatu sparfam ac traditam ferunt. Sed & Melancthon, à quo Princeps per litteras consilium rogaverat, Sacramentariorum partibus favisse dicitur; eoque nomine hodieque apud Lutheranos execrationi habetur. Quum vero neminem in tota Germania reperiret, qui ad hoc reformandi munus satis videretur idoneus; à Calvino hominem aliquem, sanctæ, ut ipse censebat quidem, sed lubricæ ac periculosæ provinciæ parem; mitti sibi petiit. Non enim ignorabat, huic suo instituto omnem fere Germaniam, tum in primis præcipuos Augustanæ Confessionis doctores ad versaturos. Calvinus, habito juvenitatis in sua schola educatæ delectu, Daniele Tossanum Aurelianensem, satis postea Germaniæ notum, ad hanc provinciam delegit, & præceptis bene oneratum dimisit: cui Rheni Palatinatus Calvinismum debet acceptum. Is postea hinc inde ac præsertim Basilea, laboris sibi socios adscivit, & Principis jussu per oppida & agros passim distribuit, cum mandato, ut subditi aut novam illam Genevesem Confessionem, Verbo Dei, scilicet, conformem, amplecterentur, aut cum rebus suis alio commigrarent. Hoc modo Calvinismus in Palatinatum Electoralem fuit introductus. Ceterum hac de mutatione certior factus Joannes

Fridericus Dux Saxonie Vinarius Princeps Lutheranus, qui filiam Palatini Elisabeth dictam An. 1558. pridie Id. Jun. ductam in matrimonio habebat, ægerrime factum hoc tulit, ipseque Heidelbergam profectus, Theologos aliquot, inter quos erant Maximilianus, Martinus, & Joannes Stoffelii, secum adduxit, qui cum novis illis Calvinisticis Prædicantibus de controversis inter eos religionis articulis conferrent. Inter hos quum Thomas Erastus Principis Medicus & in Philosophia exercitatus disputandi in se provinciam suscepisset, Stoffelius, Facile iam, inquit, video, vestram causam male habere, ut qua Medicis opus habeat. Sed in hac tota re non Deo gloriam, sed suum quisque honorem ab utraque parte querebant.

IV. Sed quemadmodum Friderici Principis levitas Calvinismo aditum aperuit; ita successoris Ludovici V. inconstantia nondum adultum ex omni ditione rursus profligavit: Triennio enim post Fridericus II. mortuus tres filios reliquit, Ludovicum, Joannem Casimirum & Christophorum: quorum duo natu minores Calvinismum sequebantur, ille vero, in quem ut natu majorem tam imperium quam dignitas Electoralis derivata fuerat, rerum potitus nihil prius habuit quam ut Calvinismo, quem numquam approbaverat, ejecto, avi religionem sive Lutheranismum velut postliminio restitueret. Sic igitur Calvinistis qui cum Tossano Geneva & aliunde venerant, cedere coactis, & in eorum locum Lutheranis substitutis, in templo Heidelbergæ primario, quod S. Spiritui dedicatum est, Principis mandato organa Musica, baptisteria, altaria, Crucifixi imagines, & alia ornamenta Ecclesiastica, quæ Calvinista, quibus sicca, macra, & omnibus ceremoniis denudata placet religio, penitus amoverant aut confregerant restituta sunt. Quinetiam ut calices aurei & argentei fierent ad Cœnæ Dominicæ usum, viritum indictum fuit tributum: quos deinde post mortem Ludovici Joannes Casimirus involavit, & in alios usus convertit. Ad Calvinisticam enim cœnam vitrum aliquod vilis precii, uti quibus merum vinum contineri & propinari debet, sufficit, & quorum Deus vasa preciosa ad sui cultum minime desiderat. Nec vero Heidelbergæ tantum, sed & per universum Palatinatum reformatio hæc instituta & executioni mandata fuit, addito mandato, ut subditi omnes abjecta Calvinistica, quam vix primis labris degustarant, Lutheranam religionem amplecterentur. Sed paucis post hanc reformationem annis Ludovicus

quoque, homo valetudinarius, è vita discessit, An. 1583. 4. Id. Octob. relicto filio novem aut decem circiter annorum, & ejusdem cum pueri avo nominis, Friderico, & alio Joan. Casimiro.

V. Quo tempore Ludovicus è vivis excessit, Joannes Casimirus in Colonienfi diœcesi pro Gebhardi Truchfessii Electoris & Archiepiscopi Colonienfis (qui deserto voto, Canonissam è Mansfeldensium Comitum familia violarat, cognatis urgentibus uxorem duxerat, ac religionem mutarat) amoribus bellum gerebat: cujus quum tædere ipsum inciperet, ceteris Protestantibus auxilia protantæ rei magnitudine parce admodum conferentibus, de morte fratris certior factus, magna celeritate, relicto exercitu domum contendit, & quorundam ipsius rebus faventium opera castellum Heidelbergense, ubi domicilium fere Electores habere solent, suam in potestatem rededit, atque inde pro Principe se gessit. Tam improvise adventu & mandato in legitimi Principis præjudicium promulgato, nec non presentis periculi (neque enim procul copiæ aberant) metu consternatis subditi, Joanni Casimiro fidelitatis juramentum, tamquam nepotis ex fratre tutori & Administratori Electoralis Palatinatus, in novem annos præstiterunt, eundem humilime precati atque obtestati, ne in religione à Ludovico introducta & stabilita, quidquam mutari pateretur: quod & ille promissit, sed & rerum poritus, contra fidem & promissa non multo post pleraque innovavit, miseris Lutheranis ne fortunam quidem suam omnium ventorum injuriis expositam deplorare audentibus, Calvinistis e contra quamvis paucis, Principis tamen auctoritate subnixis, cristas rursus erigentibus, & à quibus antea acceperant, leges præscribentibus. Quo vero Calvinisticam sectam, à qua non parum in iis quæ hæcenus tentarat, adjutus fuerat, firmioribus radicibus stabiliret, non religionem tantum, sed Consilia etiam & magistratus à fratre suo prius ordinatos, per omnem ditionem mutavit, aliis in eorum qui suspecti erant locum subrogatis: Lutheranis vero Prædicantibus jussit ut & à concionibus ad populum habendis, & assibus seu synodis inter se celebrandis abstinerent.

VI. Est vero in civitate Heidelbergensi Collegium quoddam (vulgo *Sapientiam* vocant) in quo vigintrsex juvenes Principis sumtibus ad Theologiae studium educari solent, antiquitus à Catholicis fundatum, ut inde tamquam è seminario ho-

mines ad Ecclesias regendas depromantur. His quum Joannis Casimiri nomine propositum fuisset, mallent ne novam illam & Calvinisticam, quam invehebat, religionem amplecti, an cum Lutheranæ exsulatum abire, & fortunam alibi quærere, unum tantum inventus fuit qui conditionem à Principe oblatam acciperet, ceteri vero omnes unà cum præfecto suo Marbachio, Theologi illius Argentinensis filio, alio profecti sunt. Basilea deinde venit Joannes Jacobus Grynæus, magni inter suos nominis Theologus, à Joanne Casimiro evocatus, qui unà cum Tossano diligenter omnia quæ ad Genevensem stabilendam religionem pertinebant, procuravit. Marpurgum quoque ab eodem Principe accersitus Sonnius quidam, in Marbachii locum Sapientiæ Collegio præfectus fuit: inter quem & Tossanum acres deinde de Prædestinatione dissensiones exstitere, & ad Auditores quoque seu scholares proferperunt. Pupillo Principi idem Joannes Casimirus præfectos ac rectores dedit puros Calvinistas, nec quemquam qui aliter sentiret, ullam publicis aut privatis Principis negociis manum admoliri passus est. O delictos, atque ipso etiam communi sensu destitutos homines! Non videtis quanto melius sit legibus summi Ecclesiæ præfulis, cõtina successione perpetuam in religione uniformitatem & consensum tuentis, sese subdere, quàm stultis excerebrati alicujus Principis persuasionibus & à religione alienis affectibus, non optima, sed prima sequentis, ac sæpe è duobus malis deterius eligentis, obtemperare. Verum enim vero non Casimirus tantum, sed etiam pupillus rerum administrationi adnotus, religionem in qua educatus fuerat, quoad vixit, in ditione sua retinuit, atque etiam omnibus qui ob eam aliunde ejecti fuerant, receptaculum præbuit, quæ res non parva attulit Palatinatu compendia, ut qui velut portus sic ad quem omnes qui fidei fecere naufragium, appellant. Et quo patet, quomodo quarta religio in Imperium nullo suffragio sed sola velut usucapione irrepserit, & adhuc in eo tolleretur. Primo Catholica, quæ maximam partem amplectitur: secundo Lutheranæ, quæ duplex est, eorum qui formulam Interimisticam, & qui Augustanam puram Confessionem sequuntur: ac tandem Calvinistica: quamvis hæc Palatinatu ferè & aliis quibusdam exiguis ditunculis circumscribatur, quamque ceterarum religionum homines capitali odio persequuntur, ut commodius alibi dicam. Quantum ad Anabaptistas, Trithemistas, Antici-